

19. Obrecht 1494. Albrecht, Rappelstein. Urkundenbuch
V, 466.
20. Michel Vinck 1514. Bez.-Arch. G. Fasc. 1312.
21. Johann Jacob 1515. Grandidier-Ingold, p. 359.
22. Baltassar, nach 1525.

De regularium exemptione.

Dissertatio historico-juridica.

Scriptit P. Robertus Breitschopf, O. S. B. mon. Altenburgensis,
S. Theologiae Doctor.

(Schluss zu Heft II.—III. 1900, S. 259—267.)

Casus potiores, in quibus Regulares exempti Episcopis subjecti manent:¹⁾

a) Quoad ordinariam curam animarum:

Concilium Trid. sess. 25. cap. 11 hoc modo declaravit de hoc puncto: „In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet, animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares huiusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi sunt sita...“ „Nec ibi aliqui ad nutum amovibiles deputentur, nisi de eisdem (sc. Episcopi) consensu ac praevio examine, per eum aut eius Vicarium faciendo...“ — Ex hoc decreto sequitur praelatum regularem quidem nominare posse unum ex regularibus suis subditis ad munus parochiale subeundum, sed ad Episcopum pertinere illi jurisdictionem parochialem tribuere. Talis sacerdos regularis, qui in parochia monasterio incorporata vicarii parochialis vicem gerit, partim praelato suo, partim Episcopo quoad jurisdictionem est subjectus. Quoad disciplinam regularem solo praelato suo subditus est, quoad curam animarum autem primario Episcopo dioecesano. Potest quidem praelatus regularis has parochias visitare, quae monasterio sunt incorporate, sed hac visitatione non tam populus quam regularis vicarius parochialis attingitur, quia in iis, quae ad ordinariam curam animarum pertinent, visitatio competit episcopo.

¹⁾ De hac materia confer: P. Biederlack, S. J., l. cit. pag. 219 et seq. Bouix, l. c. Tom. II. (variis locis); Ascianus Tamburini, l. c., disputatio XV.; Franzisc. Pelizarii »Manuale regularium«, tractatio VIII.; Kirchenlexikon (II. Aufl.) Bd. 2., Artikel: Büchercensur; Bd. 4., Art.: »Exemption«; Fagnani »Comment. in Cap. Grave«, n. 37; Ferraris »Prompta Bibliotheca«, v. Regulares, Artic. II.; Cochier »de jurisdict. in Exemptos«, P. 2., Q. 45. Schmalzgrueber, Jus eccl. Lib. V. Tit. 33., n. 255. Schäfler »Der Bischof und die Regularen seiner Diocese« (1871).

Quoad visitationem talium parochiarum constituit Benedictus XIV. in constitutione sua „Firmandis“ § 7.: „In exequenda vero pastoralis visitatione ecclesiarum parochialium, quae a Regularibus administrantur, minime quidem licet episcopo omnia ecclesiarum huiusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur et consequenter sacrum ipsum tabernaculum; fontem quoque baptisterii si adsit; item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet; pulpitem ecclesiae, e quo parochus jus habet verbi Dei iuxta praecipuum ministerii sui munus annuntiandi; sacrarium pariter ecclesiae ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra suppellex pro Sacramentis tam intra ecclesiam quam extra illam decenter administrandis; sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum; coemeterium parochianorum humanis cadaveribus destinatum; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum praeter res supra enuntiatas, omnia vasa sacra, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra olea sive in Baptismo sive in extrema unctione adhibenda vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.“

Ab episcopi visitatione immunes sunt sec. Conc. Trid. (Sess. 25. cap. 11.) parochiae monasterii Cluniacensis, nec non eorum monasteriorum, in quibus abbates Generales seu capita Ordinum resident. Quoad parochiarum monasterio, cui praest abbas „nullius“, incorporatarum visitationem, vide, quod prius jam diximus in cap. „Abbates nullius“.

b) quoad confessiones saecularium audiendas:

Concilium Trid. (cap. 15. sess. 23. de ref.) hoc modo statuit: „Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopo, per examem (si illis videbitur necessarium) aut alias idoneus judicetur; et approbationem (quae gratis detur) obtineat: privilegiis et consuetudine quacunquae etiam immemorabili non obstante.“ Dubium, utrum hoc capite Conc. Tridentini antiqua quorundam ordinum religiosorum privilegia derogata essent, sublatum est Urbani VIII. constitutione „Cum sicut“ d. 12. sept. 1628. Necessaria ergo est regulari ad audiendas saecularium confessiones Episcopi approbatio, non autem jurisdictio; nam sic dicit cl. Ferraris: ¹⁾ „Cum regularis ab Episcopo omnino exemptus et

¹⁾ Ferraris, l. c. voce »approbatio«, art. 1., n. 62.

sedi Apostolicae immediate existat, nulla per ipsius Episcopi approbationem jurisdictionis potestas ei tribuitur, sed illam approbatus, statim ab ipsa Sede et summo Pontifice, per privilegia ordini concessa, immediate consequitur. Qua quidem jurisdictione, personae, non solum illius civitatis et dioecesis in qua approbantur, sed etiam forenses et aliarum dioecesium in ea ad illos confluentes, eis in foro poenitentiae subjiciuntur... Haec autem jurisdictio, cum ob decretum concilii Tridentini ipsis regularibus suspensa sit, donec ab Episcopo prius examinati approbentur..., tunc secuta dicta approbatione, jam eis jurisdictionis attributa potestas relaxatur.“ Quoad approbationem Episcopalem in constitutione „Superna“ Clementis X. (21. Julii 1670) haec reperiuntur: „Illos autem religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque et indistincte absque aliqua limitatione temporis certorumque locorum aut generis personarum, in dioecesi propria admittendos. Quoad ceteros vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere“ (§ 4).

„Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo (secus autem si ab eius vicario aut ab antecessoribus episcopis) approbatus, non posse ab eodem qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quae ipsas confessiones concernat.“ (§ 5). — Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta sede Apostolica, nullatenus posse (§ 6); eandem doctrinam aliis documentis firmat Ferraris citans decretum S. Congregationis Episcoporum et regularium (20. novembris 1615), cuius finis hic est: „Statuunt insuper, eosdem Archiepiscopos, Episcopos et locorum ordinarios, confessiones audiendi facultates omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus, eadem Sacra Congregatione inconsulta nullo pacto adimere posse.“

Non possunt regulares absolvere saeculares a casibus Episcopo reservatis, nisi facultatem ab Episcopo ad hanc absolutionem obtinuerint; nam in dicta constitutione decrevit Clemens X. „Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus sedi Apostolicae reservatis, non ideo a casibus Episcopo reservatis posse absolvere.“ — Sine dubio est, quin regulares exempti confessiones audire, irrequisitis parochis, ubique possint; „in templo vero aliquo aut oratorio, quod ipsorum dispositioni subjectum non est, confessiones excipere nequeunt sine Episcopi aut rectoris templi facultate, sicut etiam alias functiones sacras sine rectoris ecclesiae aut

Episcopi in aliena ecclesia exercere nequeunt.“ Ex constitutione Benedicti XIV. „Sacramentum poenitentiae“ (1. Junii 1741) constat: „regulares quomodolibet exemptos dioecesis Ordinario subjectos esse quoad sollicitationem ad turpia in confessione aut occasione confessionis perpetrata, ita ut confessarii regulares, in quemcumque et ubicumque sollicitationem patnaverint, non Superioribus regularibus sed Episcopo denuntiandi sunt atque Episcopus in sollicitationem inquirere eamque punire possit ac debeat.“

c) quoad praedicationem verbi divini.

Regulares non possunt praedicare verbum divinum in alienis ecclesiis (sc. quae non sunt suorum ordinum) sine Episcopi licentia; nam Concil. Trid. cap. 2. sess. 5. de ref. hoc modo definit: „In ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt... Episcopi licentiam habere tenentur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo praedicare possint: ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.“ In ecclesiis autem sui ordinis petere debent Episcopi benedictionem, quando Episcopus praesens est, si praedicaturi sunt; non praedicare licitum est contradicente Episcopo. Synodus enim Trid. sic constituit (cap. 2. Sess. 5. de ref.) „Regulares vero cuiuscunque ordinis... personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant.“

Ad dubitationem omnem tollendam Clemens X. declaravit (constit. „Superna“) „praedicare posse quamvis illam (sc. benedictionem) non obtinuerit...“ Quodsi Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in praedictis quidem ecclesiis (sc. in ecclesiis suorum ordinum) licere regularibus praedicare.“ Potest Episcopus — si vult — regulares, qui in ecclesiis alienis praedicaturi sunt, quoad doctrinam examinare (Clemens X. in const. „Superna“). „In ecclesiis vero suorum ordinum praedicare volentes, non spectat ad Ordinarium eos examinare, sed ad eorum superiores.“ Ita Pignatelli ac Ferraris.¹⁾ Non potest Episcopus generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum ordinum praedicent, „quia non praesumitur adesse justa causa pro omnibus praedicatoribus unius religionis“ (S. Congregatio Episcoporum, in Salernitana, 19. nov. 1610). Non tamen regulares ab episcopo quoad praedicationem verbi divini ita dependent, ut is ex mero beneplacito possit ab eo munere ablegare, sed si Episcopus sine rationabili causa praedicandi facultatem regularibus denegat, possunt ad sedem Apostolicam recurrere, quamvis interea Episcopi prohibitioni parere teneantur.

¹⁾ Ferraris, l. c. verbo »praedicare«, n. 81. — Pignatelli, tom. IV. consult. 206. n. 66.

d) quoad Missae celebrationem et S. S. Sacramenti
asservationem.

Ex decreto Conc. Trid. „de observandis et evitandis in celebratione Missae“ (Sess. 22.) constat, regulares quoad rituum S. S. sacrificii Missae observationem nec non quoad taxam Missarum stipendii Episcopo esse subjectos; nam ita ait hoc decretum: „sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscunque peragi.“

In ecclesiis suis regularibus non possunt sacerdotes saeculares ad celebrandum admittere, nisi prius illi sacerdotes Episcopi licentiam obtinuerunt; nam ita habet Ferraris: „In suis ecclesiis non licet regularibus admittere sacerdotes saeculares ad missam celebrandam contra prohibitionem Episcopi (S. Congregatio Concilii 2. Junii 1620), et sacristae seu praefecti ecclesiarum regularium adstringi possunt ad non permittendam celebrationem sacerdotum saecularium, nisi exhibita Ordinarii licentia (S. Congr. Concilii in „Neapolitana“, 17. augusti 1630).“ Item „potest Episcopus prohibere, ne regulares extranei celebrare possint in monasterio diversi ordinis, quamvis in hoc monasterio sufficienter noti sint, antequam sibi, vel vicario suo generali, suorum superiorum testimonium exhibuerint.“ Ita enim Benedictus XIV. in constitutione „Apostolicum ministerium“ (30. maii 1753) declaravit. Ad quaestionem denique, utrum regulares ad celebrandum in suis ecclesiis admittere valeant religiosum sui ordinis advenam, antequam is Ordinarii licentiam obtinuerit, respondemus cum Wiestner (Institutiones can., l. 1., tit 22., n. 4.) „Episcopus suae dioecesis praelatis, etiam regularibus, sub excommunicatione prohibere potest, ne sacerdotes saeculares, aut etiam alterius non sui ordinis regulares peregrinos, ad missas in ecclesiis suis celebrandas admittant, priusquam ipse, inspectis eorum litteris commendatitiis, id permiserit; etiamsi praelati illi eorumque ecclesiae sint exemptae . . . Ita cum Riccio et alis doctoribus Barbosa . . . Palao . . . Layman . . .“ Bene addit el. Buix (Tractatus de jure Regularium, Tom. II., pag. 191): „Adde generalem esse praxim, ut advena ejusdem ordinis religiosus, nequaquam ad Episcopum recurrat pro celebranda in sui ordinis conventu missa. Neque quod sciam, ullus Episcopus huic praxi obstat.“

Quoad expositionem S. S. Sacramenti regula generalis est, regularibus etiam exemptis, ordinarii licentiam esse necessariam, ut possint Sanctissimum publice exponere. Saepe enim sacrae Congregationes Rom. declaraverunt, „non licere Regularibus, etiam in eorum propriis ecclesiis, sanctissimum eucharistiae sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario: ex causa autem privata posse, dum-

modo sanctissimum sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et sit velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit.“

Episcopus in ecclesia regularium potest missam celebrare in pontificalibus; nam ita ait Tamburini („de jure Abbatum“, Disput. XV. pag. 192): „Item licet Episcopi possint in locis exemptis Missas et divina officia etiam in pontificalibus celebrare, non tamen poterunt ab aliis ante se ita celebrari facere, quia id esset auctoritative demandare et jurisdictionem exercere, ut declarant Ancharan. in d. clem. Archiepiscopo num. 4., Imol., num. 9...“

e) quoad sacrorum ordinum susceptionem.

Quoad ordines suscipiendos declaravit Conc. Trid. Sess. 23. de ref. cap. 10. „Nec ipsi Abbates, et alii exempti aut collegia vel Capitula quaecumque, etiam ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant.“ Ex quo textu merito deduci potest, superiores regulares subditis suis „regularibus“ concedere posse litteras dimissorias, quod constat quoque ex decreto S. Congregationis Concilii „super ordinatione regularium“ (15. martii 1596) a Clemente X. confirmato: „Congregatio Concilii censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis ordines suscipere voluerit, litteras dimissoriales concedere“. Quem autem Episcopum adire teneantur regulares pro suscipiendis sacris ordinibus statuitur in eodem decreto Clementis X., quod a Benedicto XIV. in constitutione „Impositi nobis“ (d. 27. februarii 1746) confirmatum est: „Ad Episcopum tamen dioecesanum nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, is regularis positus fuerit: et si dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum: dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam: et tum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes“. Regula ergo generalis est, quod Episcopus, in cuius dioecesi situm est monasterium, jus primarium habet, ordinationes regularium faciendi, nisi speciale quidquam privilegium afferri potest. De eiusmodis privilegiis ait P. Biederlak, S. J. (in opere suo „de jure regularium“ pag. 225⁴): „Hoc privilegium Societas Jesu gaudet ex Pauli III. constit. „Licet debitum“ et Gregorii XIII. constit. „Pium et utile“ d. 22. sept. 1582 (Bullar. Soc. J. ed. Florent. pag. 84). Additum est pro eadem S. J. privilegium immunitatis ab examine ab episcopis ordinantibus instituendo. Utrumque autem privilegium per nullam communicationem ad alios Ordines transit ex eadem Gregorii XIII. constit.“

f) quoad delinquentium regularium correctionem
et punctionem:

Distinquendum est, utrum quidam regularis intra, an extra clausuram sui monasterii deliquerit. — Tantum si extra clausuram deliquit, competit Episcopo jus correctionis et punctionis. Ex synodo Trid. constat, Episcopum tanquam Sedis Apostolicae legatum regulares extra clausuram degentes punire ac corrigere posse; cap. III. enim sess. VI. de ref. sic ait: „Ecclesiarum Praelati ad corrigendum subditorum excessum prudenter ac diligenter intendant: et nemo saecularis Clericus vel cuiusvis ordinis regularis, extra monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii praetextu tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam super hos a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri ac corrigi valeat“. Extra conventum illi degunt, qui permanentem habent habitationem extra monasterium e. g. studiorum causa; non autem ii extra claustra degere censentur, qui per duos aut tres menses, ad praedicandum vel recreationis causa extra monasterium vivunt. Haec potestas corripiendi regulares aut puniendi, quae competit Episcopo quoad illos, qui extra monasterium versantur, non impedit, quin eos etiam punire possit ipsorum superior regularis (Reiffenstuel, in tit. 31., libri 1. decretalium, n. 115.). Quoad regulares, qui intra claustra vivunt, extra autem monasterium notorie delinquant, Concil. Trid. (Sess. 25. de Regularibus, cap. XIV.) hoc modo decrevit: „Regularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit: Episcopo instante, a suo Superiore intra tempus, ab Episcopo praefigendum, severe puniatur, ac de punctione Episcopum certiore faciat: sin minus, a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit.“ Si regularis notorie extra claustra delinquens sine punctione extra dioecesim fuerit transmissus, revocandus est ad monasterium, in quo debebat delinquens, et ibi puniri debet (constit. Clementis VIII. „suscepti muneris“).

g) quoad librorum editionem.

In hac quaestione multa decreta ecclesiastica facta sunt. Concil. Trid. (in sess. 4. „de editione librorum“) sic decrevit: „Nullique licet imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris . . . nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae, in canone concilii novissimi Lateranensis apposita. Et, si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem huiusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum.“ A concilio Lateranensi statutum

est: „Nullus librum aliquem, seu aliam quamcumque scripturam . . . imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi prius, in Urbe per Vicarium Nostrum et sacri Palatii Magistrum, in aliis vero civitatibus et dioecesibus, per Episcopum ac inquisitorem haereticae pravitatis civitatis sive dioecesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinentur, et per eorum manu propria subscriptionem approbentur.“ Quoad hanc sic dictam „censuram praeviam“ decreta ediderunt: Gregorius XIII. (Const. „Ut pestiferum“ a. 1572), Sixtus V. (Const. „Immensa aeterni“ a. 1587, d. 22. januarii), Clemens VIII. (Const. „Gregem Dominicum“ et „Sacrosanctum“) nec non Alexander VII. (Const. „Speculatores“ a. 1664) et Benedictus XIV. (Const. „Sollicita ac provida“ a. 1753). Haec praecepta Pius IX. a. 1848 d. 2. junii valde mitigavit ita, ut tantum libri et scripta, quae sacram Scripturam, Theologiam, jus canonicum, Theologiam naturalem, philosophiam moralem et alia ejusdem generis tractant, huic censurae praeviae sint subjectae. Merito concludit P. Biederlack, S. J. (l. cit., pag. 227) „Concilii Lateranensis decretum ex consuetudine saltem in nostris regionibus vigente fere ex integro abolitum est, nec pro certo dici potest, utrum et quaenam ipsius pars adhuc vigeat. Quapropter Regulares praeter Ordinis sui constitutiones leges vel consuetudines in singulis dioecesibus vigentes observent oportet.“ „Utrum vero etiam Tridentina lex consuetudine aboleri possit, id a multis quidem in dubium vocatur, ab aliis autem affirmatur.“

h) „quoad particularia“.

1. Quoad dies festos Synodus Trid. (Sess. 25. de regul., c. 12) decrevit hoc modo: „Dies festi, quos in dioecesi sua servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus, servantur.“

2. Quoad censuras et interdicta ab Ordinario promulgata Concil. Trid. sic ait (Sess. 25. de regul., cap. 12) „Censurae, interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, a Regularibus in eorum ecclesiis publicentur, atque servantur.“ Quare bene cl. Reiffenstuel (in tit. 31, libri. 1. decretalium, n. 126.) addit: „Unde sequitur, quod regulares, quantumvis exempti, non solum teneantur servare Episcoporum interdicta, ita ut non celebrent scienter in loco interdicto; sed nec possint facere quod ab aliis celebretur in locis ita interdictis; neque possint excommunicatos ad divina, vel ecclesiasticam sepulturammittere.“

3. Quoad indulgentiarum publicationem regulares Episcopo sunt subjecti, quia sine Episcopi licentia indulgentias, quae ipsis

a Sede Apostolica noviter concessae sunt, publicare non possunt (Concil. Trid. Sess. 21., cap. 9.).

4. In erectione novorum conventuum regularibus Episcopi licentia necessaria est; nam expresse statuit Concil. Trid. (Sess. 25., cap. 3. de regul.): „Nec de cetero similia loca (sc. monasteria) erigantur sine Episcopi, in cuius dioecesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.“

5. Iudicium in causis nullitatis professionum pertinet ad Episcopum conjunctionem cum superiore religiosorum.

De amissione exemptionis¹⁾.

Amittitur exemptio:

1. revocatione Summi Pontificis: Romanus Pontifex est caput Ecclesiae, primus et summus legislator, qui non tantum privilegia concedere sed etiam revocare potest. Sicut historia ecclesiastica docet, Summo Pontifici facultatem esse ordinem religiosum dissolvere, a fortiori ergo habet jus alicui ordini immo omnibus ordinibus religiosis privilegium exemptionis revocare.

2. praescriptione; nam sicut exemptio acquiri potest praescriptione, eodem modo praescriptione amitti potest, et quidem sicut exemptionem in jure particulari acquirere possunt regulares, ita quoque exemptio in actu determinato amitti potest salva tamen in aliis actibus exemptione manente.

3. amittitur exemptio a conventibus parvis, scil. ab iis, in quibus tant. decem vel undecim religiosi vivunt (Gregorii XV. constit. „Cum alias“ nec non Urbani VIII. decretum „Cum saepe contingat“ d. 21. junii 1625).

Appendix:

„De causis internis exemptionis regularium nec non de commodis ac incommodis eiusdem.“

Clarissimus Canonista „Bianchi“ in opere suo „della politica della Chiesa“, Tom. IV., pag. 363. dicit: „Exemptio monachorum et institutorum religiosorum ab Episcoporum jurisdictione ad monasticae disciplinae conservationem fuit necessaria“ nec non Georgius Philipps, qui primum inter Germaniae canonistas locum tenet, in opere suo insuperabili „Kirchenrecht“, (Bd. 7., pag. 905) ita scribit: „Es lässt sich nicht verkennen, dass in dem Wesen der klösterlichen Institute selbst Etwas liegt, was in gewisser Weise die Exemption von der unmittelbaren Einwirkung der bischöflichen Gewalt auf dieselben nothwendig in Anspruch nimmt, was auch immer, sobald man jene fördern wollte, anerkannt worden ist.“

¹⁾ P. Biederlack, S. J., l. c., pag. 217 et sequ. — P. Bruno Chassaing, O. Min. »privilegia Regularium«, cap. V. praepositio I., III. et IV.

Ut in unaquaque familia religiosa disciplina regularis, quae vita familiae religiosae est, integra conservetur ac semper promoveatur, necesse est, ut ii, qui in tali communitate jurisdictionem exercent ac potestatem habent, diu eandam vitam disciplinarem gesserint ac — ut ita dicam — ex iisdem ossibus ac carnibus constituti sint. Episcopi autem, „tum quia regulam experti non sunt, tum quia pro varietate ingenii multorum in diversis mundi partibus constitutorum, aut eadem etiam civitate sibi succedentium Episcoporum, moraliter impossibile est eos in spirituali conventuum directione perseveranter concordare“ (Bouix, tractatus de jure Regularium, tom. II. pag. 114), apti non sunt (regulariter loquendo) ad disciplinam monasticam conservandam nec non promovendam. Quam verissima haec assertio sit, historia ecclesiastica Austriaca docet: Cum enim Josephus II. imperator omnes exemptiones monasteriorum Austriae derogasset et Episcopis jurisdictionem et plenissimam potestatem in regulares dedisset, in omnibus his monasteriis mox disciplina regularis exstincta est. — Vehemens regularium adversarius, Febronius nempe, ipse fatetur: „Exemptio regularium, quorum magna in ecclesia utilitas, eorundemque immediata subjectio ad sedem apostolicam, legitimis ex causis, in bonum non tantum religiosorum ordinum, sed etiam universalis ecclesiae, videlicet ad faciliorem eorundem sub uno supremo capite gubernationem, introducta, et ab omnibus ecclesiis agnita, nedum a saeculari potestate, sed nec ab una particulari synodo abrogari valet. Abusibus ex hac exemptione enasci valentibus per concilium Tridentinum occursum et praevisum est“ (Victor de Buck, „de exemptione Regularium“, pag. 129 et 130).

Per exemptionem omnes ordines religiosi fortiori vinculo Sedi Apostolicae, centro unitatis, devinciuntur, nec non ordines religiosi, sed etiam ecclesiae particulares. In procellis ac tempestatibus, quae contra sanctam Ecclesiam catholicam exortae sunt, aut semper aut saltem plerumque ordines religiosi fidelissime ac fortissime Summis Pontificibus adhaerebant. Pulcherrime scribit de hoc commodo exemptionis Bouix (loco cit. pag. 113): „In his porro ac similibus rerum angustiis, si passim exstent, in periclitante regione exemptorum regularium conventus, iis totidem veluti arcibus utetur Apostolica sedes ad propugnandum catholicam unitatem et fidem. Ex his nempe propugnaculis orietur ad fideles, a Romano Pontifice indictus, de periculo clamor; magisque regularibus cum Romano Pontifice perstantibus, quam caeteris in novitatem misere ruentibus, fidentes populi, artes fraudesque omnes deludent.“

Quapropter praeclarum testimonium de exemptionis utilitate exhibuit in Tridentino concilio Cardinalis Lotharingius, quod

supra jam citavimus in cap. „Conc. Trid. quoad regularium exemptionem.“

„Neque minor“ — scribit Victor de Buck (in op. cit. pag. 128 et sequ.) — „est utilitas episcoporum, debito modo intellecta.“ Citat S. Bonaventuram dicentem episcopis: „Si autem movet eos, quod sumus exempti a jurisdictione ipsorum quoad nos ipsos; tunc e converso consolentur, quod pro nobis non tenentur reddere rationem; ut de nostra gubernatione careant honore, ita sunt liberi a sollicitudine et labore, excepta providentia pietatis et inter nos in suae pacis unitate servanda“; et Cardinalem Palavicinum in „Historia conc. Trid.“ (lib. 12., cap. 13, num. 8., tom. 2., pag. 127) scribentem: „Quapropter existimo nec, si pontifex quidem episcopis offerret ultro subjecturum se ipsorum jurisdictioni coetus omnes ab illa immunes, episcopos, qui religionis studio ac prudentia praecellerent, ob publicam privatamque quietem ne id fieret precibus intercessuros.“ His verbis quoque demonstratur, exemptionis regularium commoda longe superare incommoda, quae ex hoc privilegio exorta sunt. Incommodum exemptionis dici possunt multae querelae ac dissensiones Episcopos inter et regulares, quae praepriis magnis ac multis privilegiis mendicantium ortae sunt. Sed hae dissensiones legislatione Spiritu s. plena Concilii Tridentini nostro tempore fere toto orbe terrarum desierunt ita, ut nunc pax et quies sit inter Episcopos et regulares; quod maneat usque ad consumationem saeculi!

Die Geschichte des Klosters Wiblingen nach Aufzeichnungen seines letzten Priors, des späteren Bischofs, Gregorius Ziegler.

Ein Gedenkblatt aus dem Jubiläumsjahre 1899.

Von Anton Naegele, Vicar, Wiblingen-Ludwigsburg, Württemberg.

(Fortsetzung zu Heft II—III. 1900, S. 277—285.)

§ 8.

Aebte und Merkwürdigkeiten von dem Stifte Wiblingen von 1220—1300.

Nach Heinrichs Tod, der erst 1241 erfolgte, regierten in dem nämlichen Jahrhunderte nur 3 Aebte. Conrad I., Albert und Richard.

Unter Albert kaufte das Kloster das Patronatrecht in Ringschneid sammt anderen Gütern in Ebersberg, und Rotha Elisabeth, eine Gräfin von Kirchberg, gab dem Abte Richard mit dem Beding 5 Säcke Frucht, dass er sie zeitlebens ernähren